

3170.
345.

DE
M E T R I T I D I S
DIAGNOSI ET CVRA

S P E C I M E N I N A V G V R A L E M E D I C V M

Q V O D

A V C T O R I T A T E

G R A T I O S I M E D I C O R V M O R D I N I S

P R A E S I D E

C H R I S T I A N O G O T T H O L D
E S C H E N B A C H

P H I L O S . E T M E D I C . D O C T O R E , C H E M I A E P . P . O .
O R D I N I S M E D I C O R V M A S S E S S O R E C E T .

P R O G R A D V D O C T O R I S
M E D I C I N A E E T C H I R V R G I A E
P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

C A R O L V S H E N R I C V S S T Ö L Z E L
E Y B E N S T O C K I O - M O N T A N V S
M E D I C I N A E B A C C A L A V R E V S .

A . D . V I I . M E N S . A P R I L . c i s i c c x c v i l .

L I P S I A E

E X O F F I C I N A K L A Y B A R T H I A .

Pathol. spec.
661,24

Motifno 28

H Metzitz.

8 ГІДІЛІМІТІ

АДІРІСІЛІОДІ

СЛОВО СЛАВЯНСКИХ
ЧЕРКАССЕН

А ТОГО ОУДА Я ОЛЧ


ЧЕРКАССЕН

PRO O E M I V M.

Comparanti mihi inter se veterum ac recentiorum medicorum de phlegmatisis decreta, magnam mihi videor inter ea diuersitatem repaire. Namque illi, qui olim huic medicae artis capiti illustrando operam dederunt, minus claras atque distinctas de acutis eiusmodi inflammationibus habuerunt ideas, quam ii, qui nuper sibi hoc argumentum sumserunt pertractandum, quos et summo studio in naturam et varias causas harum aegritudinum inquisuisse et earum dignoscendarum atque sanandarum egregia praecepta dedisse, fatendum est. Quemadmodum autem recentiorum doctrina hanc ob rationem omnem meretur laudem, sic quoque in eo potissimum mihi excellere videtur, quod respectu ad febrem, localem inflammationem concomitantem, habito, duplex omnino omnium acutarum eiusmodi aegritudinum genus ea stabilitur. Etenim secundum recentiorum medicorum praecepta inflammatio vel vere inflammatoria vel neruosa indolis est, aut, ut aliis verbis utar, cum inflammatoria aut cum neruosa febre coniuncta

A

depre-



deprehenditur, cum eaque veluti incedit. Enim uero si unquam in morbo quodam acuto indolis febris indagatio res magni momenti censenda est, certe in inflammatione locali acuta multum scire interest, qui febris, quae cum locali inflammatione coniuncta est, character sit. Vbiique igitur a febris, quae localem comitatur inflammationem, vera indole omnis ad eam curandam repeti debet indicatio. Et in iis quidem inflammationibus, quae cum febre inflammatoria sociatae sunt, methodus debilitans in auxilium vocetur, in iis e contrario, quae neruofae indolis sunt, irritantibus et roborantibus medicamentis utamur oportet. Hinc in his morbis tractandis valde diuersa incidentum est via. Iam autem, cum veterum medicorum plurimi huius diuersitatis nullam habuerint rationem, qui inflammationis notioni et huic opponendae antiphlogisticae curae unice inhaererent, neque ullo modo de indagando febris, inflammationi adiunctae, charactere effent solliciti, fieri non potuit, quin saepe infelici conamine eam ipsam antiphlogisticam methodum in curanda neruosa inflammatione adhiberent.

Deinde mihi in eo etiam recentioris aei medici valde laudandi videntur, quod in diagnosi horum, sicut omnium aliorum morborum, rite formanda magis ad causas praecedentes et antegressam corporis dispositionem, quam ad symptomata ipsa, quae praesto sunt, attendum esse praeceperunt; etenim inflammationem vere inflammatoriam cum febris neruofae symptomatibus haud raro incedere, neruofam autem quandoque inflammatoriam ludere indolem constat, ex quo patet, in eiusmodi casu ex ipsis talis morbi symptomatibus raro veram

ram eorum indolem erui posse. Proinde quae antecesserint caussae, quae fuerit corporis dispositio, accurate dispiciendum est, simulque cum haec, tum illae cum symptomatibus praesentibus sunt sedulo comparandae; hac enim ratione errorem, qui hic facile committitur, evitare nos posse certum est.

Atqui haec, quae dixi, applicari commode ad metritidem possunt, in cuius quippe medela ad febris, quae cum uteri locali affectione coniuncta est, characterem studiose aduertendum animum esse, propria me obseruatio docuit. Cum autem deinceps in hoc ipso libello de utraque hac metritidis forma uberius sim disputaturus, hic non prolixum de hoc morbo sermonem praemittendum, sed modo scribendi libelli rationem breuiter reddendam censeo. In pertractanda nimirum metritide, cuius, nisi me omnia fallunt, paucae tantum extant monographiae, ita progressus sum, ut ubique illa recentiorum placita, quorum memini, amplecterer, et in medendi ei methodo describenda ad febris indolem respicerem. Multa autem eorum, quae hic scripsi, me cum praeceptoribus celeberrimis, quorum in pluribus Germaniae Academiis preelectiones frequentare fors mihi concessit felicissima, tum aliis claris auctoribus, quorum scripta perlegi, passimque allegaui, debere lubens gratusque profiteor. Primo quidem mihi proposueram, de huius morbi prognosi et inflammatione uteri chronica uberius disputare, variasque, quae metritidem spectant, adiungere quaestiones, e. g. an morbus non nisi topicus sit, (qualis certe non semper est,) cuius naturae inflammaciones sint neruofae cet. tandemque eiusdem morbi, quem aliquoties videre mihi licuit, ali-

quas obseruationes apponere; sed cum in hoc elaborando specimine
iam nimis increuisset materia, coactus fui, ne longior fierem, ac li-
mites eiusmodi libelli, qualis meus est, permetterent, vela contrahere
atque ea, quae non proxime ad meum argumentum spectant, silentio
praeterire. Ceterum, cum primum hac occasione fecerim de rebus
medicis scribendi periculum, spero fore, ut lectores non seuerum,
sed benignum de meo libello iudicium ferant; ipse enim probe scio,
multa, quae in medium protuli, et dici melius et accuratius exponi
potuisse, sed temporis breuitate impeditus fui, quo minus omnia,
quae collegeram, hac quidem opportunitate, cum lectoribus commu-
nicarem, aut ea, quae iam scripseram, ad limam denuo reuocarem.

DE

DE
INFLAMMATIONE VTERI.

SECTIO I.

DE MORBI NOTIONE ET PRAECIPVIS SYM-
PTOMATIBVS.

§. I.

De variis morbi nominibus.


Muliebris sexus proliferum viscus frequentior chronicorum, quam acutorum morborum sedes est, inter quos *metritis* peculiare mali genus constituere videtur, quod humanae feminae sat periculosem, perniciosem facile, ac non grauidae aequa ac prae-gnanti, parturienti item et puerperae infensum valde est. Quam ob rem medici cuiusque esse censeo, ut morbum hunc, quamvis rariorem, probe cognoscat, eundemque auertere et sanare non ignoret.

Variis autem hanc aegritudinem omnis aeui medici insigni-
verunt nominibus. Et Hoffmannus ^{a)}) quidem eam non admo-
dum apte, ut equidem arbitror, appellat *Febrem vterinam*. Lin-

A 3

naeus

a) Friderici Hoffmanni Opera omnia physico-medica. Geneuae 1761. T. II.
p. 156.



naeus^a) et *Cullenius*^b) ipsi *Hysteritidis* nomen dederunt; a recentissimis autem auctoribus *Metritis* fuit vocata, quod nomen nunc quidem apud omnes fere salutaris artis magistros usu receptum est^c).

§. II.

De vteri ad inflammationem dispositione.

Etsi non adeo frequens huius visceris inflammatio est, eam tamen quandoque obuenire, experientia docuit. Ac saepissime quidem medici morbo huic puerperas, eas potissimum, quae primiparae sunt, magis, quam illas, quae partum iamiam aliquoties sunt perpeffae, obnoxias esse obseruarunt. Praeterea grauidas ille raro et lenge rarius non grauidas feminas, easque, quae extra matrimonium viuunt, aggreditur. Virgo menstruata magis in illum inclinat, quam ea, quae non menstruata et vterinae sanguinis excretioni neandum adsueta est, quamvis in utroque casu morbus rarissimus esse soleat. Neque minus raro hoc incendio illae prehenduntur, quibus menses ob aetatis rationem cessarunt. Nuptae, prouectioris aetatis primiparae aut omnino feminae, quae ob muliebrium locorum rigiditatem aegre prolem enituntur, facilius in hunc morbum ruunt, quam eae, quae aut coniugio non fruuntur, aut iuniores sunt; quin ipsae primipa-

rae,

a) *Carol. a Linné Genera morborum.* Edit. Kerstens. Hamburg. f. a; p. 15.

b) *Guilielm. Cullen Synopsis Nosologiae methodicae.* Edit. IV. recudi curau. Joann. Petr. Frank. Ticini Regii. 1787. 8. Cl. I. Ord. II. G. XXI. p. 75.

c) Cf. *Franc. Boiss. de Sauvages Nosologia methodica.* Ed. Daniel. Lips. 1790. T. II. p. 354. *M. Sagar Systema morbor. symptomaticum.* 8. Vienn. 1776. p. 421. T. II. *Joann. Petr. Frank epitome de curand: hom. morbis.* Venetiis 1794. T. II. § 222.

rae, quae adhuc florente aetate gaudent, ad hunc morbum minus proclives inueniuntur. Apparet proinde, utrum, qui aut menses nondum excreuit, aut ob aetatis rationem menstruum sanguinem excernere cessauit, ad inflammationem parum inclinare; cuius rei caufsa in minus irritabili huius visceris natura, quae hoc tempore obtinet, posita esse videtur; e contrario autem haec muliebris corporis pars vel maxime ad hunc morbum disposita est, postquam menses iam eruperint, iisque potissimum in fluxus opere a causis violenter supprimentibus fuerint perturbati. Namque irritabilitas vteri hoc ipso tempore magis aducta est, eaque hoc viscus ad inflammationem aptissimum reddit ^a).

§. III.

Symptomatum metritis characteristicorum brevis recensio.

Huius autem inflammationis perfecta succinctaque *definitio exhiberi non posse* videtur, quod symptomata, quae cum hoc morbo coniuncta sunt, ita variant, ut paucis verbis comprehendi vix possint. Atqui haec ipsa symptomatum veluti inconstans, quam apud eas, quae hoc malo laborant, animaduertimus, obfuit etiam, quo minus ii, qui nuper de *Nosologia* accurate scripserunt, nostri morbi veram, omnibusque numeris absolutam definitionem exhiberent. Etenim id viscus, in quo malum residet, in variis suis regionibus inflammari potest, et cum alia ipsi viscera proxime adiaceant, aut cum eo coniuncta sint, inter quae v. c. vesica urinaria, intestinum rectum etc. pertinent, haec ipsa facile

^a) Cf. *Christ. Gottb. Kiesling* dissert. sist. vterum post partum inflammatum. Lips. 1754. *Ioann. Christoph. Gebhard* diss. de inflammatione vteri. Marburg. 1786. *Ioann. Petr. Frank* epitome l. c. *Sam. Gottl. Vogels Handbuch der pract. Arzneiteissenisch.* 4 Th. 1795. Cap. 13. §. 7. p. 422. *Gautier de irritabilitat. notione, natura et morb.* Halae 1793. p. 115. seqqu.

facile in consensum trahet, sic ut itidem praeternaturali modo affiantur. Pro varia igitur sede inflammationis, eiusque in utero extensione, aut pro effectibus eius variis, qui in adiacentibus partibus se exferunt, varia, eaque a se inuicem plus minus diuersa emergunt symptomata. Attamen medicus certo colligere potest, utrius adesse inflammationem, si symptomata compareant fere haec:

1. Dolor ardens, lancinans, punctorius, grauatus, fixusque, qui in affecto uteri loco h. e. in hypogastrica vel pelvis regione sentitur. Plerumque aegrotantes dolorem ei, qui a carbone accenso producitur, fere similem, interdum pulsantem persentiscere se dicunt. — Etsi vero hic dolor in uteri inflammatione certo cuidam loco affixus haeret, ab initio tamen, certe in quibusdam casibus, non continuus deprehenditur; subinde namque remittit, mox autem, quasi ut dolores post partum, maiori vehementia aegram denuo adorit, eamque valde excruciat. Atque id certe in puerperis obseruatur; ast in iis, quae utero non gerunt, aut non a longo inde tempore grauidae sunt, dolor magis continuus esse confueuit^a).

2. Anxietas, quae omnibus fere abdominalis inflammationibus communis est, nostrum etiam morbum concomitatur: et simul adeat

3. Febris acuta, quae mox intensior ac vehementior, mox mitior ac leuior est.

Cullenius^b) in definiendo hoc morbo errauit in eo, quod dicaret, ubique abdominalis tumorem, orificii item uterini dolorem ardoremque ab attactu auctum comparere. Namque abdominalis tumor certe in morbi initio non ubique adeat, neque obseruatur,

nisi

a) Cf. *Ioann. Petr. Frank* l. c. §. 225.

b) *Cullenii* (l. c.) definitio haec est: *Pyrexia; hypogastrii calor, tensio, tumor et dolor; os uteri tactu dolens; vomitus.*

nisi tum, cum inflammatio in vteri fundo, vel in eiusdem facie anteriori haeret. Praeterea ardor, dolorque vterini oris se exploranti in eo tantum casu offert, vbi inflammatio circa ceruicem et osculum vteri residet. Quodsi autem alias vteri partes incendium occupat, haec symptomata, quae a sede et vehementia ipsius inflammationis pendent, vix ac ne vix quidem adsunt. Neque in eo assentiri Cullenio possum, cum vomitum semper cum hoc morbo coniunctum esse dicit; is enim mihi symptoma consensuale et accidentale metritidis videtur esse, vt pote qui non nisi in sensibilibus aegrotis compareat, quarum ventriculus facile a re quauis afficiatur, maioremque cum vtero habeat consenfum; ceterum hoc symptoma, si adsit, in vterini fundi inflammatione ut plurimum animaduertitur, in reliquarum visceris huius partium phlegmone non item. Sic certe ab ea metritide, quam egomet ipse in Nosocomio magno ciuico Vindobonensi obseruaui, vomitus plane aberat ^{a)}). Quae cum ita sint, mentionem huius symptomatis in morbi nostri definitione non faciendam esse patet.

§. IV.

De quibusdam symptomatibus, quae ab vteri cum aliis partibus consensu et diuersa inflammationis sede pendent.

Varia morbi nostri facies est, prout hanc vel illam vteri regionem inflammatio occupat; neque vero dubitari vlo potest modo,

a) Hanc obseruationem etiam fecisse videtur auctor vernaculae versionis Cullenii Nosologiae, cui titulus est: *William Cullens kurzer Inbegriff der mediz. Nosologie. Aus dem Engl. Leipzig 1786.* vbi in T. I. ad notam p. 158. dicit: non vbique vomitus adest. Porro cf. ad h. l. *Ios. Mobernheims Beobachtungen verschied. chir. Vorfälle. Dessau 1783. 2 Band. p. 130.* C G. Selle neue mediz. Beyträge z. Nat. u. Arzneywissenscb. Berlin 1782. 2. Tb. p. 50. seqqu.



modo, quin eiusmodi phlogosis in diuersis vteri locis existere queat; nam clinica experientia medentes saepenumero de hac re coniicti fuerunt. Atque ex hac causa fit, vt dolor mox in hac, mox in alia parte sentiatur et reliqua etiam symptomata diuerso modo varient. Quod autem ad sedem mali attinet, aut in *certa quadam vteri parte* tantum inflammatio locum habet, aut *totus uterus* est inflammatus. In priori casu eiusmodi incendium in valde diuersis locis, aut in vteri fundo, aut in eiusdem ceruice, aut in facie vteri anteriori aut posteriori, aut denique in partibus lateralibus sedem habere potest. Ac singularum fere harum partium, si eiusmodi inflammatione affectae sint, malum cum peculiaribus quibusdam symptomatibus coniunctum est, quae breviter recenzebo:

Si *vteri fundus* inflammatione prehendatur, dolor et tumor imum abdomen circa regionem umbilicalem occupant, sic vt quasi hemisphaerium persentiatur, circumscripte tumidum et durum; dolor praeterea, si hic locus digitis vel leuiter tantum tangitur, valde increscit. Hanc inflammationem facile vomitus et singultus, ob ventriculi et septi transuersi vicinitatem, concomitantur^a). *Sellius*^b) in metritide rarius tumere abdomen dixit, cuius quidem sententiae ego adstipulari non possum, cum iste tumor in vterini fundi inflammatione ut plurimum adesse deprehendatur; namque eius praesentia ubique a fede et vehementia inflammationis pendet. Försan *Sellii* obseruatio de eo vteri incendio tantummodo valet, quod non in fundo, sed in aliis eiusdem partibus residet, aut non nisi vterum haud grauidum, neque dilatum, occupat. Si vero circa *ceruicem* et *os uterinum* haeret inflammatio, hae ipsae partes admodum dolent, ita vt exploran-

a) Cf. *Sam. Gottl. Vogel* l. c. §. 2.

b) *C. G. Selle medicina clinica*, Berlin. 1793. 8. p. 503. et *Eiusd. Beiträge* 2. *Tb.* p. 56. No. 3.

plorantis medici attactum recusent, in primis cum uterum sursum quasi attollere conetur; sunt praeterea hae partes siccae, calidæ, durae, tensæ et subtumidae, osque uteri occlusum, versus interiora et superiora retractum digito in vaginam immisso veluti obuertitur ^a). Dolor et grauitas in ima pelui haerere videntur, atque ut plurimum in hoc casu simul totam vaginam, imo labia pubis externa phlogosis tenet, calorque, tumor et ad tactum sensilis dolor in pubis regione externa obseruantur. Ceterum abdomen nec tumidum, nec ad contactum dolens primo saltem morbi initio esse facile solet. Si autem *partes uteri anteriores* inflamentur, tum dolorem aegrotans in pelvis regione anteriori accusat; est quippe illa sensilis, tensa subinde et subtumida, vrinæ excretio plus minus difficilis deprehenditur, indeque initio dysuria, stranguria et postea ischuria gignitur; in quo casu medicus ad *vesicae*, utero adeo vicinae, inflammationem, quae morbum forsan fistit primarium, attentissimus sit necesse est ^b). Si *posteriores uteri partes* incendantur, dolor tum magis profundius in intestini recti, lumborumque regione percipitur, simulque aliud cohibetur, frequens desidendi stimulus et venarum haemorrhoidalium turgor, grauisque tenesmus manifestantur. Si *partes uteri laterales* ardeant, inguina, quin ipsas coxendices tendi, doloribus vexari, crura grauari, aegre moueri et ad motum hebescere ac torpere videmus; interdum hae ipsae partes subtumidae fiunt et quibusdam aegris crus ipsum, quod e regione est, per incessum claudicat ^c). Plerumque etiam in puerperis matrix

B 2

in

a) Cf. *Moscionis de mulierum passionibus Liber*. Edit. a F. O. Dewez. Vienn. 1793. Cap. 127. p. 64. *Aëtii Tetrabibl.* IV. Serro. IV. Edit. *Cornarii* 1549. Basil. Cap. 85. p. 893.

b) Monet hoc I. P. Frank l. c. §. 225.

c) Haec symptomata iam annotarunt *Aëtius Amidenus* l. c. et *Paulus Aegineta*



in illud latus vergit et retrahitur, in quo incendium haeret, et uter i ceruix cum suo osculo ad oppositum latus inclinat^a). Si denique *totus uterus* inflammatus fuerit, omnia modo singulatim recensita symptomata animaduertuntur et diuersimode inter se miscentur, morbus vehementius et intensius, ac si qua tantum uteri pars vexetur, vrget, omniaque coniunctim torquent mulierem symptomata. Subinde fit, vt *superficies uteri interior* solummodo experiatur phlogofin, ac tum quidem saepe singularia illa vicinarum partium, per consensum affectarum, symptomata plane absunt, neque tensio aut tumor abdominis externe in conspectum venit, fereque semper profundus tantum, ardensque dolor hic superest^b). Notari quoque meretur, quod rarius fiat, vt inflammatio tantummodo in hoc vel illo uteri loco accidat, ita vt ex symptomatum praesentia certo dicere possimus, hunc vel illum visceris huius locum solum incensum esse; namque frequenter euenit, vt plures uteri regiones simul inflammatae sint, vel regionis cuiusdam, quae sola patitur, incendium mox ad alias partes progrediatur, easque afficiat. Sic in ea aegrota, cui ego adstidi, praeter uteri fundum, partes eiusdem laterales itidem laborare videbantur. Interdum uteri inflammatio in vicinas transit partes, vel earum incendium cum uteri inflammatione eandem causam agnoscit. Ut uteri quippe inflammatio facile ad vaginam

Aegineta in opere de re medica, Parisiis 1532. p. 103. Lib. III. Cap. 64. et *Nicol. Piso* de cognoscendis et curand. morb. Vindobon. 1766. Lib. III. Cap. 57. Videntur haec symptomata a musculi psoae, utriusque iliaci, nervorumque cruralium compressione, ab inflammato utero producta, originem suam habere.

- a) Hoc idem iam monent *Aetius* l. c. *Paul. Aegineta* l. c. et *Nicol. Piso* l. c. et *Ludouicus Mercatus* de communibus mulier. affectionibus. L. II. Cap. 17.
- b) Cf. *Sam. Gottl. Vogel* l. c. §. 2.

ginam, adeoque etiam ad partes genitales externas propagatur ^a). Saepe metritis ouaria, vteri ligamenta et tubas, vesicam vrinariam, intestinum rectum, aliasque intestinalis tubi partes, peritoneum item et alia abdominis viscera, quae vtero adiacent, in consortium inflammationis trahit. Ad menstrua, lochiaque quod attinet, fluere ea quandoque in hoc morbo cessant ^b), (qui euenter eiusdem morbi causa aut effectus est), quandoque vero eorum effluvium continuat, quo in casu lochia mox discolora, bruna, graueque olentia ^c) e vagina prodeunt. Mammae aut turgent et dolent ^d), aut lacte spoliatae flaccescunt et concidunt ^e). Accedunt nonnunquam dolores ad pectus, costasque et collum, qui quandoque ad claviculas protenduntur ^f). Pectoris oppresio, respiratio angusta et anxia, insimulque tussis sicca et molesta accedunt; cephalalgia ad oculorum basin et radices, interdum singultus, aegrotantem diuexant. Dolores et ventris cruciatus sub alui excretione aut aliis nisibus acerbissimi fiunt. Ceterum ipsa adeo aegrota parum commode in omnem corporis partem

B 3

mo-

a) Cf. *M. Francisc. Mauriceau traité des maladies des femmes grosses etc.* Paris 1740. L. I. Cap. 24.

b) Cf. *Selle Beitr.* Tb. II. p. 51. et seqqu. Supprimebantur et in eo casu, quem ego obseruavi, lochia.

c) Cf. idem *Sellius* l. c. p. 53. et 57. n. 5. et *Eiusd. medic. clinica*, p. 503. Effluxus talis foetidus non semper apud puerperas mali ominis est; saepe enim in partibus, e. g. labiis, vagina, aliquid remanet, quod loci calore et aëris accessu corrumpitur, foetidumque odorem assumit.

d) Cf. *Daniel Sennert* medicina pract. L. IV. Part. I. Sect. II. Cap. XIII. *Selle medic. clinica*. p. 503. et *Mohrenheim* l. c. 2. Tb. p. 130. In meo casu et mammae lacte turgebant et dolebant.

e) Cf. *Selle Beitr.* l. c. p. 50. et 53.

f) Hoc iam obseruavit *Hippocrates de nat. muliebr.* T. II. p. 366. XII. Edit. v. d. Linden. Cf. *Nicol Piso* l. c. et *Daniel Sennert* med. pract. l. c. Ego et ipse hos ad pectus dolores obseruavi.



mouetur, ita ut nec sedere, nec surgere, nec pedibus ingredi possit.

Variae ergo sunt affectiones, quae metritidi accedere possunt et solent; cum enim constet, uterum magnum cum aliis partibus, ipso plus minus vicinis, confortium habere, facile quisque intelligit, symptomata hinc originem ducere, quorum alia morbum perpetuo comitantur, alia rarius ad sint et apud non nullas tantum aegrotas obseruentur. Facile ceteroquin intellectu est, metritidis diagnosis in grauidis et puerperis, quarum uterus distendatur et ex pelvi assurgat, ut tactui se offerre foris possit, minori difficultate premi, quam in non grauidis; etenim in eiusmodi casu perquam difficile morbus noster dignoscitur, quod moles uteri parua, non supra pelvem extensa et sublata sit, tactuque verus eius status vix detegi queat. Praeterea abest etiam in hoc ipso casu fere omnis ab abdomen tumor.

§. V.

De signis, quibus metritis ab aliis morbis, qui ei similes sunt, distingui potest:

Cum metritidis diagnosis subinde ex variis causis difficultis, dubiaque reddatur, eos morbos, qui magnam cum illa similitudinem habent, breuiter hic puto recensendos esse, quo melius ab iis distingui nostrum malum queat. Atque huc potissimum referri merentur:

I. *Peritonitis puerperalis*, vel sic dicta *febris puerperalis*. In hoc quippe morbo similia symptomata, velut tumor, tensio, dolorque abdominis cum febre acuta comparent, ita, ut medicus dubius, ancepsque sit, quam diagnosis facere debeat. Sed differentia cernitur in hoc, ut in metritide abdominis tumor vix tam celeriter, quam in peritonite puerperali increscat; et cum in metritide abdominis tumor non praestet sit, nisi in uterino fundo

inflam-

inflammationis fedes est, hic tumor solus dolens, subrotundus, circumscriptumque expansi vteri segmentum durum referens, in regione super pube media percipitur, cum e contrario in peritonitide puerperali totum fere abdomen tumeat, doleat et valde tensum sit. Dolor in metritide etiam abdomen multo citius invadit, ac in peritonitide puerperali euenire solet^{a)}. Incipit praeterea peritonitis puerperalis vt plurimum cum insigni virium prostratione, pulsuque mox frequentissimo; ceterum apud has aegrotas magna animi abiectio obseruatur, insignisque adest ad diarrhoeam procliuitas. Accedit, quod metritis maxime a causis localibus manifestis originem dicit, cum peritonitis magis causas vniuersales, interdum epidemicas agnoscat. Porro non conspicua sunt ea signa, quibus fedes inflammatae vteri regionis peculiaris dignoscitur, inter quae v. c. crurum torpor, vrinae et aluinae excretionis difficultas^{b)} cet. pertinent. Quod reliquum est, metridem morbum a peritonitide puerperali plane diuersum fistere, funerum, peritonitide puerperali demortuum, dissectionibus, ab *Hulmio, Homio, Leakeo et Frankio institutis*^{c)}, edocti sumus, quibus quippe constitit, utrum ab inflammatione prorsus liberum mansisse. Etsi vero uterus in eiusmodi funeribus saepe insons repertus est, saepe tamen metridem peritonitidis puerperalis effectum fuisse, aliae obseruationes docuerunt.

2. Cy-

a) Cf. C. G. Selle n. *Beitr. Tb. II.* p. 56. n. 2. et Kurt Sprengels *Handbuch der Pathologie* Leipzig 1795 *Tb. II.* p. 461.

b) Has etiam affectiones plures auctores inter peritonitidis puerperalis symptomata recensent, sed tunc videtur symptomatica vteri vel aliorum viscerum inflamatio simul adfuisse. Sic v. c. Walsh (*Pract. Bemerkung. über die Kindbettf. aus d. Engl.* Leipzig. 1788. p. 25.) crurum torporem inter peritonitidis signa notat.

c) Nath. Hulme von d. Kindbettfieb. Leipzig, 1772. *Home clinische Versuche*. Leipzig. 1781. John Leake pract. *Bemerkungen der Krankh. der Kindbett. und Schwang.* Leipzig 1775. Ioann. Petr. Frank l. c. T. II. §. 217.

2. *Cystitis* etiam magnam habet cum nostro morbo similitudinem; in hac autem inflammationis specie, praeter mingendi difficultatem, dolor, tumorque subinde in regione hypogastrica comparent. Haec quidem symptomata haud absunt a metritide, si in facie vteri anteriori inflammatio residet, quorum causa in vesicae propinquitate posita est; ast differt cystitis a metritide in eo, quod causae plerumque locales, vterum laedentes, praecesserint, aegraque puerpera sit; his enim feminis rarius accedit vesicae inflammatio, quae ut plurimum a causis longe aliis, v. c. a calculo cet. oritur; et si omnia symptomata sedulo inter se comparata fuerint, facile dignosci poterit, metritis, an cystitis morbus primarius sit.

3. *Enteritis* alias morbus est, qui facile cum vterina inflammatione potest confundi, quod in iis, qui eo affecti sunt, ventris cruciatus, tensiones, tumores et subinde vomitus obseruantur. Sed distinctionis notae in eo fere sitae sunt, quod in metritide tumor abdominis vteri expansi figurae in regione super pube media respondeat, aegrotaque puerpera sit, in qua quippe rarius obuenit suspicio intestinalium inflammationis, quae a causis plerumque localibus, ab iis, quibus metritis originem debet, longe diuersis, oboriatur; ceterum in illo intestinalium morbo vomitus, dolorque a quo quis mox assumto potu vel medicamine saepe adaugentur, in metritide non item. Obseruatur etiam in illo alii obstipatio pertinax, quae metritidi non propria est, et tandem singularia illa phaenomena, quorum causa in inflammatae vteri partis regione posita est, deficiunt, doloresque in enterite aequa ac in cystitide non circa pectus, neque in costarum, clavicularumque regionibus comparent.

4. *Dolores post partum vehementes, diuque durantes* itidem subinde mentiri vteri inflammationem possunt; sed ii sine febre aegram inuadunt; praeterea dolorem puerperae in metritide fixum,


fixum, ardente, quasi candens carbo in abdomine situs esset, aut pulsantem, fere continuum accusant, eumque ipsae, si iam olim pepererint, facile distinguunt ab eo, qui post partum fere contingere solet; etenim ab hoc dolore longe alia ratione afficitur aegra, quam ab illo; accedit, quod dolor post partum per vices remittit, abdomenque, non adeo sensile in hoc casu, attactum foris magis perfert ^{a)}). Tumor abdominis in puerperio naturalis, per plures plerumque dies persistens, mollis percipitur, et indies imminuitur, tangentique abdomen manui uteri globus contractus et imminutus, neque dolens, occurrit. In metritis vero tumor augetur et increscit, si incendium nempe ad fundum haeret. Deficiunt quoque symptomata peculiaria uteri loci inflammati. Interim medicus sedulo ad hos dolores animum advertat, necesse est, ubi diutius durent, continuique ac fortiores fiant; nam si ita se habeant, suspecti omnino sunt, cum sic saepe clandestino modo uteri inflammatio paretur. Ceterum diagnosis in eiusmodi casu paululum difficilior redditur, si hi ipsi dolores in tempus illud incidunt, quo febris sic dicta *lactea* mulierem tenet. Febrem vero, non item metritis, esse, qua aegra laboret, accuratum et assiduum eorum abdominalium symptomatum, de quibus retuli, examen docebit.

§. VI.

De varia divisione et speciebus metritis.

Quod ad morbi nostri diuersas species attinet, vario modo eae a variis medicis determinatae sunt. Primum omnes fere medici

^{a)} Cf. Simon Zellers *Bemerkungen über einige Gegenstände aus der praktischen Entbindungs-kunst*. Wien 1789. p. 21. seqqu. Hamiltons *Unterricht in d. Be-handl. der Frauenzimmer und neugeborenen, Kinderkrankheiten*; aus d. Engl. Leipzig 1793. p. 201.



medici duas huius morbi, vt omnium reliquarum inflammatio-
num, species assumunt, quarum alteram, in qua nempe tumo-
rem inflammatio referat, metritidem *phegmonosam*, alteram, vbi
magis superficialis inflammatio sit, metritidem *erysipelaceam* di-
xerunt. Etsi vero non dubito, quin hic diuidendi nostri morbi
modus experientia innitatur, ab eaque confirmetur, tamen fa-
tendum est, notas, certe in plurimis casibus, adhucdum desi-
derari sufficientes, quibus altera harum specierum ab altera di-
stingui commode possit; hinc diuisionem hancce vix cuiusdam
momenti in clinica praxi esse patet.

Alii auctores metritidem in *acutam*, quae paucis diebus
praeterlapsis finiatur, et in *chronicam*, quae per hebdomas,
mensesque excruciet mulierem, diuidendam esse iudicarunt.
Alii denique nostrum morbum esse vel *primarium*, vel *secundarium*
dixerunt, eumque sic censuerunt distinguendum. Et in perito-
nitide quidem puerperali saepe ad vterum transiisse inflammatio-
nem, experientia docuit, vt plurimi adeo medici febris puerpe-
ralis causam proximam in vteri inflammatione positam esse cre-
derent. Neque cystidem, genitalium item externorum et in-
testini recti inflammationem metritidem sibi sociam quandoque
adiungere negari potest; atque inde elucescit, metritidem inter-
dum secundarium ac symptomaticum^a), non item primarium
morbum esse.

Sed his partitionibus, de quibus disputauit, magis utilis ea
est, quae simul maxime essentialis dici meretur, in qua potissi-
mum *febris*, inflammationem vteri localem concomitantis, *naturae*
metritis et *symptomaticae* invenimus.

a) F. G. Gall philosoph. mediz. Untersuchungen über die Natur und Kunst im gesunden und kranken Zustand. Wien 1791. 1. Tb. p. 122. Enarrat hic auctor memorabile exemplum metritidis symptomaticae, vbi in semina graui-
da ab hernia incarcerateda cuncta sere inflammatione correpta sunt viscera,
quae inflammatio mox praegnanti communicabatur vtero.

*indolisque diuersae ratio habetur. Febris ergo, quae cum locali vteri inflammatione coniuneta reperitur, aut inflammatoriae, aut neruosae indolis est, ideoque metritidem nunc inflammatoriam, nunc neruosam *) appellandam esse equidem iudico.*

§. VII.

De febris metritidi adiunctae diagnosi.

Ad naturam febris, quam comitem habet vteri inflammatio, bene eruendam summa interdum requiritur et in obseruando diligentia, et in iudicando acies. Neque enim sufficit, ut symptomatum, quae tempore exacerbationis et praecipue remissionis adsunt, diligens et accuratum medicus instituat examen, sed simul omnem adhibeat operam necesse est, qua in causas, quae morbum praegressae sint, et in aegrotae dispositionem, qua ea

C 2

ad

- a) Febrem sic dictam putridam, biliostam sub communi *febris neruosa* nomine comprehendo, et cum Iosepho Frankio quamcunque febrem neruosam nomino; quae minime inflammatoria est. Cf. eius *Ratio instituti clinici Ticinensis*. Viennae 1797. p. 59. De febris enim biliostae et putridae peculiari natura ex multis causis valde dubito; biliosa enim aut putrida phaenomena febris effectus, non causa, sunt. Cf. I. P. Franck propositio de larvis morborum biliosis recens. in delect. opuscul. T. I. et in *Eiusdem* opusculis medici argumenti, antehac seorsim edit. nunc collect. Lips. 1790. et *Eiusdem* Praefatio ad filii Rationem instituti clinici Ticinens. p. 22. seqqu. *Eiusdem* Epitom. T. I. §. 92. et §. 107. Ios. Frank *Ratio instituti clin. Ticinens.* p. 41. seqqu. Ioh. Christ. Reil memorabil. clinicor. Fasc. IV. Hal. 1795. I. U. G. Schäffer über Sensibilität als Lebensprincip in der organischen Natur. Frankf. 1793. p. 80. 107. cet. Kreyzig de peripneumonia neruosa. Lips. 1796. p. 2. Fr. Milmann Untersuchung der Symptome des Scorbuts und der Faulfieber; übers. von Lindemann. Berlin 1795. Vacca Berlinghieri sulle febri dette putride. Lucca 1781. Gios. Pratolongo discorso sulle febri, che si dicono putride. Genova. 1786. Melber diss. de febre putrida. Jenae 1794.



ad hanc vel illam febrim magis proclivis reddatur, sollicite inquirat, causasque seu potentias nocentes, siue sint vniuersales, siue locales sedulo expiscetur, regnantem item morborum indolem consulat, atque sic febris, metritisdem concomitantis, naturam diiudicet. In eo casu, vbi metritis a locali causa orta est, medicus febris naturam ex symptomatibus aequa ac ex praedispofitione, corpori inherente, eruat oportet. Saepe tamen hic fit, vt localis violentia, a qua vterus laeditur, adiunctam habeat vnam, alteramue causam, quae inter vniuersales pertinet ^a), cuius indagatione certior medicus de vera metritidis natura reddi potest. Iam, cum de febris, hanc localem inflammationem circumdantis, diagnosi in vniuersum dixerim, ad singulam metritidis speciem vberius describendam me accingo.

A. Metritidis inflammatoriae descriptio.

Febrem, quae metritisdem comitatur, inflammatoriae indolis esse, docent consueta isti symptomata, quorum plura aut pauciora aegrotantem excruciant. Incipit vero illa ut plurimum cum horrore, quem insequitur intensus calor cum ardente in imo ventre dolore, ceterisque metritidi familiaribus, quae iam antea commemorauit, symptomatibus. Interdum affectio partialis plus minus increscit, priusquam totum systema vasorum in consensum trahitur ac turget. Pulsus in principio inflammationis ut plurimum sunt pleni, vibrantes, magni, duri et frequentes, mox vero, vbi morbus increuerit, parui plerumque et contracti fiunt, ob magnam huius visceris irritabilitatem et cum aliis partibus consensum ^b). (Hinc non ubique ex pulsu solo de febris

a) Causa vniuersalis irritans aut debilitans ad sociatur locali, vterum laedenti causae, a qua proxime orta est metritis, v. c. metritis oritur ab vteri laesione, quae cum insigni haemorrhagia coniuncta est.

b) Cf. *Gautier de irritabilit, notione etc.*, p. 140.

febris natura ferendum esse iudicium patet.) Praeterea sitis intensa et vrens cum oris et linguae siccitate et ad sinciput cephalaea accedunt. Facies imo tota cutis plerumque rubore suffunditur. Vultus viuidus, totusque aegrotae externus habitus vegetus deprehenditur. Colli et temporum arteriae pulsant, oculi fulgent rubentque; respiratio agitata, anhelosa et calida est, tussis vero sicca, vrina flammea, rubra, in colorem lateritium abiens, alius sicca, aut suppressa. Calor cutis magnopere auctus, aequalis per cutem diffusus obseruatur, sub continuato vero per aliquod tempus attactu imminutus sentitur; attamen caloris gradus pulsuum conditioni, eorumque frequentiae aut duritiei respondet. Ceteroquin cutis sicca, interdum dura et aspera fit: vrgent deliria plerumque ferocia. Symptomata autem et causae neruofae febris desiderantur.

Haec metritidis species adoritur maxime feminas robustas, plethoricas, iuuenes, quae corporis et animi viribus et actionibus vigent, porro victu lauto, animali vtentes, bene appetentes cum digestione debita, spirituofis forte abutentes, vitam degentes exercitatam in aëre libero, ruris incolas, et denique fibra rigida et compage solidorum firma constructas. Morbo forte pрагressae sunt causae irritantes, e. g. cibi, potusque caleficientes, labores nimii, longa intentaque deambulatio, validus corporis motus, animi pathemata excitantia, frigoris calorisque vicissitudines, quibus totum corpus aut in primis genitalia afficiuntur, pharmacorum calidorum, sic dictorum emmenagogorum, abortiuorum, aristolochicorum aut ecbolicorum abusus cet. Interdum epidemica constitutio, in omni aegrotante tunc occurrens, inflammatoria eius, de qua hic loquor, metritidis formae suspicionem recte mouet. Si puerpera sit, quae metritide laborat, medicus summa cura agram examinet, necesse est, vt, qua sanitate grauiditatis tempore sit gauisa, quomodo pepererit et pri-



mos puerperii dies peregerit, intelligat. Ceterum, et si puerperis rarius accidit inflammatoriae indolis metritis, quandoque tamen eiusmodi feminas huic morbo expositas esse, propria me experientia docuit, qui robustam et plethoricam puerperam vera vteri inflammatione affectam viderim. Ad symptomata febris inflammatoriae quod attinet, monendum adhuc est, ea tantum morbi initio plerumque adefse, inualescecente autem et ingrauescente morbo vt plurimum debilitatis *spuria* et *apparentis* symptomata in conspectum prodire, e. g. extremorum frigores, faciei pallorem, pulsus paruos et inordinatos, debilitatem magnam cet. in quo casu saepe perdifficile est de morbi, qui neruofae febris veluti faciem assumferit, vera indole iudicium ferre. Sed dubium plerumque diluitur, si dispositionem corporis inflammatoriam adfuisse, causasque, quae irritandi vim haberent, morbo esse praegressas intellexerimus. Necesse in primis est, ut therapeuta remissionis tempus obseruet, simulque omnia phaenomena, attentus perpendat; interea vero seniora potissimum debilitantia seu antiphlogistica administret medicamina, eorumque effectus strenue obseruet, donec morbus laruum deponat, certiorque de vera mali indole factus medicus, mox efficacioribus morbum impugnare possit armis.

B. Metritidis neruofae descriptio.

Haec labes feminam cum horroribus, vagis plerumque ignibus intermixtis, adoritur, quibus mox caloris intensioris accessus cum hypogastrii cruciatibus, ceterisque metritidi confuetis symptomatibus succedunt; subinde etiam imi ventris affectiones febrem praecedunt. Interdum lente morbus ingruit. Pulsus parvi, contracti et inaequales sunt, atque moderata, vel admodum accelerata frequentia micant. Aegrotans, quae plerumque puillanimis, moestaque est, et de salute recuperanda fere despetrat,

80/11
80/3

rat,

rat, insignem totius corporis laſitudinem, virium item languorem et artuum saepe quasi torporem accusat; a minimo motu et nisu pulsus frequentior fit, atque debilitas totius corporis augetur. Maior simul vel minor gastricorum symptomatum apparatus in primis hic vrget. Calor cutis nunc intensus, sub attactu saepe acrior, nunc moderationer est, atque siccus, vel copiosus sudor symptomaticus obseruatur. Capitis dolores vehementes super orbitarum regionem, qui ad occiput vsque propagantur, aegra sentit, conqueriturque simul de aurium tinnitu et fusfurru; auditus sensus nunc acutior, nunc obtusior esse solet, simulque capitis grauitas et vertigines adsunt. Faciei color plerumque pallidus est, vel admodum variat, eaque collapsa cum totius aspectus mutatione cernitur; oculi dolent et rubent, lucisque aut impatientes sunt, aut aude eam concupiscunt, eorum item splendor vel auctus est, vel imminutus; lingua humida vel sicca et arida, postea dura, interdum nigricans, tremulaque est cum siti per pauca aut plane nulla; interdum adeo eiusmodi aegrae omne potus genus aspernatur et auersantur ^a). Delirat aegra nunc leuiter et blande, nunc furiosius, nocturno tempore vigiliis et insomniis torquetur. Respiratio frequens fit, dentium stridor et hinc inde tendinum subsultus, extremitatum item tremores, leuesque corporis concussions, pauores aut conuulsiones obseruantur. Interdum aegrae de doloribus ad articulos manuum et digitorum conqueruntur. Totum abdomen intumescit et miliaria aut petechiae efflorescunt, ad inferius abdomen apparent, rubor, ad umbilicum vsque se extendens, qui denique nigrescit ^b). Lochia aut menstrua foetida et ichorosa effluunt. Aluus aut tarda et suppressa, aut laxa et profusa obseruatur, aut cum ipsis vri-

nis

a) Cf. Sagar l. c. qui metritidis cum hydrophobia coniunctae mentionem facit.

b) Cf. Gebbard diff. §. XXIX. et Vogels Handbuch l. c. §. 3.

nis inuoluntaria. Vrinae aut tenues, limpidae, aut turbidae, crassae et iumentosae sunt. Interdum omnibus his symptomatibus aphonia, visus abolitus, catalepsis, tetanusque, risus aut fletus inuoluntarius, oris retractions risum mentientes, cantilenae et alii miri spasmi adiunguntur^{a)}). Omnibus his porro nunc respiratio anxia, suspiriosa, ventris tensio et insignis tumor, iactatio frequens, sudores ad frontem et pectus glutinosi, viscidique cum extremorum frigore, stupor et animi indifferenia, bilis aeruginosae vomitus, animique deliquia accedunt. Pulsus fiunt frequentissimi, vacillantes, exilissimi et intermittentes, in facie hinc inde maculae rubrae, liuidae erumpunt, tandemque horrores saepe validi, gangraenae lethalis indicia, se manifestant, liquores foetidissimi e vagina effluunt, frequens fecum et vrinarum in lectum secessus est, et plerumque sub sopore aut lipothymiis mors scenam claudit.

Metritis igitur neruosa decursum suum symptomatum *febris neruosa versatilis* vel *stupidae*, nunc horum, nunc aliorum satellitio, absoluit, imo hinc inde cum symptomatibus aliis neruosis incedit, quae ab iis, quae modo recensui, differunt; sed ea hic enarrare instituti mei ratio vetat, cum illa tantum colligenda putauerim, quorum praesentia, apparatusque tum aliorum, tum mea experientia confirmatus sit.

Inuadit vero haec metritidis species pree aliis debilitatas et ex causa antecedente quacunque exhaustas feminas, eas item, quae exsangues, macilentae, delicatulae, sensibiores et irritabiliores, in spasmos proclives et effetae sunt, aut dyspepsia laborant; cachecticae etiam et parce et male pastae, ut et eae, quae habitu laxa, fibraque molli praeditae, sedentariae vitae addictae vrbiumque incolae sunt, quae mox ab intentione leuiori defatigantur et pulsu molli, debili et spasdico laborant, vitamque anxiā,

a) Cf. Sagar l. c. et Roederers Geburtsbülf. Iena 1793. §. 400.

xiam, moerore, curisque plenam degunt, atque pathematis de-
 primentibus a longo tempore vexantur, et omnino tales, quarum
 tum corporis, tum animi functiones languere incipiunt, huic
 malo sunt obnoxiae. Ceterum ad metritidem neruosam omnium
 maxime inclinant puerperae, quarum vires plerumque multis
 debilitantur causis. In utero enim adhucdum gerentes saepissi-
 me multis laborant appetitus et digestionis vitiis, symptomati-
 busque gastricis, vomitu et aluinae excretionis vitiis vexantur.
 Ob affectum et turbatum systema neruosum augetur totius cor-
 poris sensibilitas et irritabilitas. Ob extensum, sub ultimis gra-
 vitudinis mensibus, uterum abdominalia viscera comprimuntur
 et relaxantur, ipsaque sanguinis per vasa abdominis circulatio
 non parum pessum datur. Saepius eiusmodi feminae sinistrum
 partus euentum pertimescunt, vitam inertem degunt et abutun-
 tur quandoque, ex peruerso more, venaefectionibus cet. In partu
 femina subinde vires praepostere ad labores intendit et fere con-
 sumit, nimisque cito interdum fetum excludit, unde subitanea
 partium relaxatio nascitur; praeterea et quandoque sanguinis aut
 sat magnam iacturam patitur, (unde *Swietenius* pueroram recte
 vulneratam nominasse mihi videtur^{a)}); aut placenta vel eius por-
 tio, aut sanguinis grumi retinentur, corrumpunt et putrefuscunt,
 insimulque aere impuro aut non renouato saepe circumdatur;
 spasmis, doloribusque ea partus tempore, et quoque post partum,
 haud raro valde vexatur, eaeque causae non minus, quam mul-
 tae aliae vim suam debilitantem in pueroram exferunt. Inde
 eiusmodi mulieres ad hanc metritidem in primis pronas esse, ap-
 paret, id quod eo quoque confirmatur, quod apud puereras
 in gangraenam ea cito mutari solet. Subinde causae occasioneles
 manifesto debilitantes quaecunque v. c. haemorrhagia insignis,
 terror,

a) van Swieten Commentar. T. IX. p. 345. Edit. Wirceburgens.

+ + + + +

terror, timor, aëris admodum impuri actio cet. hunc morbum proxime praecesserunt. Interdum vero coeli tempestatis iniuriae febris neroſis progenerandis manifesto fauent, aut indoles regnantium morborum neroſa ad hanc metritidis ſpeciem procreandam valet, ſi vel aegram contagio fuſſe expositam expertum habemus, vel morbum ſymptomatibus talibus ingruifſe, quae epidemiae neroſae currenti conſueta ſunt. Saepius quoque fieri poſt, vt metritis, quae ab initio de *inflammatoria* ſummopere teſtabatur natura, citiſſime in *neroſae* indolis metritidem conuertatur, cuius euentus cauſa vel in inflammationis vi et vehementia, aut in venaefectionis neglectu ^{a)} quaeri, vel inde repeti debet, quod debilitantia remedia, e. g. ſanguinis quantitatem imminuentia auxilia, nimis large et copioſe in uſum tracta fuerint.

S E C T I O II.
D E M E T R I T I D I S C A V S I S.

§. I.

Generalis cauſarum diuifio.

Metritidis *cauſas* in duas equidem clafes diuidendas eſſe iudico, quarum altera 1) *uniuerſales*, 2) altera *locales* complectitur.

Uniuer-

- a) Metritidem ſumme inflammatoriam in neroſam transiſſe intelligimus, ſi ſymptomata compareant debilitatis, pulsusque debiliores, frequentiores et inordinati euadant, ſi feminae diathesi inflammatiā inhaeſiſſe, morbumque *cauſas* vehementer irritantes praegressas eſſe, compertum habeamus.

Vniuersales voco eas, quae totum afficiunt vitale systema, et si qua vteri dispositio adsit, e. g. irritabilitas aucta, hoc viscus inflammant, unde mox inflammatoriae, mox neruofae indolis febris cum locali vteri inflammatione originem dicit.

Locales autem mihi eae sunt, quae magis topice in vterum agunt, eumque inflammant; in hoc casu febris vniuersalis, quae pro varia corporis diathesi diuersae indolis fit, magis symptomatica est.

Causae metritidis *vniuersales* aliarum inflammationum causis omnino fere similes sunt, et ad duo genera queunt referri; etenim a) aut *irritantes* sunt, b) aut *debilitantes*. Metritidi a causis vniuersalibus ortae vbique antecedat necesse est corporis *dispositio*, quae duplex esse poterit, a) vel *inflammatoria* corporis diathesis, b) vel diathesis corporis *neruosa*. Vtramque dispositionem iam supra, cum de febris indole loquerer, accurate descripsi. Atque ex iis, quae proposui, apparet, pro varia praeuia diathesi generali, et pro varia cause in diathesin actione sub quadam quoque vteri dispositione progenerari metritidem, quae nunc cum *inflammatoria*, nunc vero cum *neruosa* febre incedit.

Causae locales, vterum inflammantes, plerumque mechanica ratione operantur, quippe quae, si eidem proxime applicatae fuerint, dum nimirum fauciando, caedendo, rodendo, scindendo, pungendo, commouendo, percutiendo, aut premendo agunt, visceris huius organisationis laesiones producant.

§. II.

De causis speciatim.

Iam ad causas cum locales, tum vniuersales, quas salutaris artis doctores ad metritidem excitandam multum valere obseruarunt, singulatim recensendas accedo. Atque huc spectant: Re-

D 2

penti-

pentinae menstruorum^{a)}) et lochiorum, haemorrhagiarum item, fluoris albi et haemorrhoidum suppressiones, quae post causas violentas accidentunt, si e. g. animi validam commotionem femina experta, aut terrorem, iram fortiorum cet. passa sit, aut si frigus, cum corpus caleret admodum, praesertim in genitalia, aut aestus, frigente corpore, in easdem partes egerit, vimque suam exercuerit. Abortus vel ex causis naturalibus promotus, vel pharmacis excitatus itidem inflammationis vteri causa quandoque est; nec minus huc pertinet potuum et pharmacorum calefacientium, sic dictorum emmenagogorum, pellentium, ecbolicorum^{b)}, aristolochicorumque abusus. Erysipelas etiam aut rheumatismus^{c)} ad vterum conuersus, metastases sic dictae lacteae, causae venereae, haemorrhagiae vteri profusae post partum maxime infquentes, vomitus vehementes, enormes et continui, nimis calida post partum diaeta, nimis repetita exploratio, compressiones vteri grauidi validae et continuae ante partum, vel post eum per fascias, aut pannos conuolutos, eosque arcte abdomini circumductos^{d)}, vel per thoraculos angustiores vel per alia corpora^{e)}; lapsus item grauidae in distentum abdomen, percussiones violentae, conculcatio, labores ad partum vehementes, frustanei prae-

maturi

a) Cf. A. Fr. Heckers *Magazin für die patholog. Anatomie und Physiologie* 1. Heft. Altona 1796. p. 126.

b) Cf. William Smellie *a collection of preternatural Cases and observations in Midwifery*. London 1766. Vol. III. p. 406. Case 2. vbi metritidis a potu Punsch ortae exemplum narratur, cuius potus largam copiam quaedam femina ad partum promouendum sumserat.

c) Cf. Menz dissertat. de pathologia rheumatismi in morbis puerarum, Lips. 1788.

d) Monuit iam hoc Mauriceau l. c. Lib. III. Cap. II.

e) Exempla vteri a sola compressione externa inflammati narrant IV. Smellie l. c. T. III. p. 390. et D. Fr. Benjamin Osiander *Denkwürdigkeiten der Heilkunde und Geburtshilfe*. Göttingen 1794. 1. Th. p. 115.

maturi aut diuturni, partus laboriosi, praeternaturales aut difficiles, maxime sub capite fetus incuneato ^a), (uterus enim in tali casu inter foetus caput et ossa pelvis quasi prelis premitur, laeditur et contunditur), aut sub uteri obliqua positione, (qua foetus pars diu contra uterum agit, eumque premit) denique sub obliqua capitis positione ex eadem causa, cet. saepe metritisdem accedere possunt. Praeterea contrectationes uteri rudes in partu artificiali, ictus, compressiones vel lacerationes, versionis quoque negotium violentum post ruptas iam diu aquas et contractum circa foetum uterum, vel foetus aut placentae extrahendae infelix, praesente uteri strictura ^b), suscepimus negotium, rudi manus facta versio, incantus ferramentorum ad foetum extrahendum usus, praeprimis vectis aut forcipis abusus, quibus instrumentis uterus saepe vario modo laeditur, violenta ac praepostera placentae extractio, maxime ubi fixa arcta que ea utero adhaeret, aut praeternaturali loco affixa est, placentae item vel eius portionis retentio, grumi sanguinei relictus, foetus demortui in utero adhucdum haerentes (haec enim corpora residua corrumpunt, putreficiunt et in acrem faniem conuertuntur), perinaei praeterea, vaginae et intestini recti lacerationes, (quarum partium inflammatio ad uterum dein propagatur), prolapsus vaginae aut uteri (ob frictionem inter ambulandum), uteri polypi et mala eorum tractatio, inuersio uteri, spasmi ac dolores diuturni, post partum in primis subsequentes, (qui subinde placentae incarcerationem progignunt), colica conuulsiva atque grauior hysterica affection, partium vicinarum inflammations, e. g. peritonaei, vesicae, intestinalium, labiorum pubis externorum ex causa quacunque ortae etc. efficere possunt, ut ipse uterus inflammetur.

D 3

Variae

a) Cf. Conradi *Handbuch der pathologischen Anatomie*. Hannover 1796.

b) Cf. D. Ioh. Christ. Stark *dissertat. medica de hernia vaginali et strictura uteri, observatione illustrata*. Ienae 1796.



Variae ergo sunt, quae vterum inflammatum reddere queunt, causae, atque in iis auertendis prophylaxin nostri morbi confistere appetet, qui facilius praecaueri, quam, si praesens sit, sanari potest.

S E C T I O III.

POTIORA AD MORBI EXITVM SPECTANTIA MOMENTA.

Iam praemissa breui de praecipuis metritidis causis disputatione, ad prognosin transgredior. Cum autem alii auctores accurate super hac re differuerint, nolo ego longus esse in recensendis iis, quae ad iudicium de morbi exitu ferendum spectant, sed modo breuiter strictimque de necessariis maxime, quae huc pertinent, momentis, agam, quo, quae ad morbi curationem attinent, clarius intelligantur.

Metritis, vt aliae inflammations, varios habet exitus. Finitur nempe quandoque:

i. *resolutione*, cuius signa, quibus hanc diuersis diebus, nunc citius, nunc tardius, infecutam fuisse certi reddimur, sunt, secundum variorum medicorum obseruationes fere haecce: lochia, menses, haemorrhoides denuo comparent, vel largus materiae puriformis et male olentis vel sanguinolentae ex vagina effluxus in conspectum prodit, largus item, calidus, diuque continuatus sudor cum vrina spissa puriformi animaduertitur. Praeterea in hac vel illa corporis externa parte erysipelas nonnunquam comparet, vel rheumatismus vel tumor et abscessus extremitatum ^{a)} enascuntur. Rarius sub miliaribus et diarrhoea comparentibus, frequen-

a) Exemplum tale exhibit Kiesling l. c. p. 24.

frequentius sub abortu cum haemorrhagia insecuta sanitatem restitutam fuisse, experientia docuit.

2. *Suppurat* etiam interdum locus, qui inflammatione affectus est; et de eiusmodi quidem exitu signis abscessum internorum communibus, iisque satis notis, certi reddimur. Hunc exitum in primis inflammatoriae indolis metritis agnoscit. Pro sede nati abscessus, item pro vario, si ruptus ille fuerit, puris in varios locos effluxu, exitus suppurationis varius est; nunc enim pus vel in abdominis aut vteri cauum, vel in vaginam, vel in vesicam vrinariam et intestinum rectum fluit, aut ad partes supra inguen, aut ad umbilicum eructatur. Varii huius exitus exempla, quorum alia lethalia fere aut saltem admodum periculosa, alia autem minus infelicia, experientia teste, fuerunt, apud autores passim extant, quibus ea, quae proposui, egregie illustrantur atque confirmantur.

3. In *gangraenam* aliquando abit noster morbus, quae lethalis fere ubique est, signisque suis, quae nota satis sunt, facile di-
gnoscitur. Nervosa potissimum metritis in gangraenam saepe
definit^a).


4. Denique *induratione* aut *scirrho* finitur metritis, qui tamen exitus perrarus est. Vteri enim indurations magis a causis lente occulteque agentibus et tardigradis originem habent, quam ex morbo vteri acuto.

SECTIO IV.

DE METRITIDI MEDENDI METHODO.

Indicationes in metritide tractanda generales in eo potissimum versantur, ut ad morbi causas, ad aegrotantis statum, maxime vero

^{a)} Cf. Ioann. Petr. Frank l. c. §. 130.



vero ad febris, quae metritidem comitatur, naturam respiciamus.

§. I.

De remouendis causis localibus.

Prima indicatio, quae in metritide, siue inflammatoriae siue neruofae ea indolis sit, adimplenda est, in eo cernitur, ut, si quando actio localis causae in vterum restitet, ante omnia nihil non tentatum relinquamus, quo ea tolli et remoueri possit ^{a)}). Inter istas autem locales causas, a quibus vteri inflammatio pendet, corpora in vtero residua et retenta aliena pertinent, ad quae expedienda et extrahenda plerumque ipsa manus obstetriciantis versata et exercitata requiritur, ne qua violentia inflammato inferatur vtero. Vbi igitur placenta integra vel eius aliqua portio aut foetus demortuus, aut sanguinis grumi in vtero retinentur, cauta manu haec corpora eliminanda sunt, si quidem id per osculum vteri satis apertum fieri queat; vbi vero ob os vteri clausum et contractum tales materiae extrahi non possunt, haudquaquam vis adhibenda est, sed emollientes et inuoluentes decoctiones in vaginam, vterumque caute sunt iniiciendae, ut, quicquid materiae, loci calore facile corruptae, vtero infit, corrigatur, sensimque quasi eluatur. Abdomini praeterea cataplasma, vnguenta item emollientia applicanda, remediaque, quae spasmodum soluant, nec naturae febris aduersentur, in auxilium vocanda sunt. Reliqua, quae hic in usum trahi debent, praefidia non addo, cum de iis, eorumque recta, causisque accommodata administratione varii obstetriciae artis magistri praeclare

a) Cf. Mauriceau l. c. cap. II. L. III. et Röderers *Geburtsbülf* §. 400. it.
Iob. Petr. Frank discursus academicus de Haemorrhagia vteri ex spasma secundinas incarcerante. Recus. in opusculis medici argumenti antehac seorsim edit. nunc collect. Lips. 1790. p. 245.

clare exposuerunt, ad quos equidem lectores amandandos censem. Itaque statim ad ea, quae febri tractandae conueniunt, me accingo.

§. II.

De iis, quae ad febrem, cum qua coniuncta metritis est, recte tractandam pertinent.

Consideranda mihi nunc est ea indicatio, quae in febris cum locali vteri inflammatione coniunctae indole, quam diuersam esse posse dixi, rite tractanda versatur. Inde quippe magna methodi medendi diuersitas enascitur. Cum enim *inflammatoriae* nunc, nunc *neruofae* haec febris sit indolis, methodus medendi vel *debilitans* s. antiphlogistica, vel *irritans* et corroborans esse debet. Quae cum ita sint, operae me pretium facturum arbitror, si medendi methodum, quam quaevis febris indoles desiderat, vberius et accuratius exponam.

*A. De metritis in*inflammatoriae* curatione.*

Quodsi ex causis, (Sect. I. §. VII. allatis,) cognouerimus, febrem, quae cum nostro morbo coniuncta est, *inflammatoriae* indolis esse, sumnum certe, si recte mederi velimus, artis auxilium in debilitante, quae dicitur, methodo positum est, a qua deflectere plane non debemus. Proinde primum, sumnum ac saluberrimum remedium in *sanguinis detractione* larga manu et ex ample vulnere instituta cernitur. Quod autem ad *venae* effectio-
num attinet numerum et ad *sanguinis* eliciendi quantitatem, vix vniuersalis regula statui potest, sed hic, si vnuquam, in puerperali maxime metritis, huius sanitatis restituendae praefidii modum et finem quendam teneri iubeo; neque enim vitalis laticis profusam copiam disperdere, neque nimis parce in eo e vena mittendo versari fas est, praesertim cum simul aliis, infra addu-

E

cendis,

cendis, remediis debilitantibus, quae in ~~v~~sum vocata fuerunt, multum tribuendum esse censem. Regulae circa venaefectionum numerum et cruoris detrahendi copiam generales hic optime circumspectum ducent medicum. Febris igitur, causaeque irritantis vehementiae, constitutionis et dispositionis, quae obtinet, item vitae generis, aetatis, morbi durationis et temporis, quo facta est prima venaefectione, ratio debet haberi; denique etiam accurate respiciamus ad cruoris emissi effectus necesse est; namque hi optimi medentis quasi ductores erunt. Et laetissimus quidem detracti sanguinis effectus est, vbi iam post primam venaefectionem symptomata omnia imminui, aut prorsus cessare videmus. Sub felici eiusmodi rerum statu non amplius opus est, vt noua vena aperiatur, sed modo aliorum debilitantium remediiorum, quae infra recensebo, usus continuari debet. Interea fieri sane potest, vt singula inflammationis symptomata intensiori vi recrudescant; in quo casu iterata et pluries repetita venaefectione, eo tamen, quo par est, moderamine, instituta vti conveniet, qua morbi vehementia egregie frangi queat. Neque vero pluribus debilitatis signis forte in conspectum prodeuntibus nos patiamur seduci, utpote quae, cum forte spuria tantum et apparens sit, tanti non debeat aestimari, ut a nostra methodo recedamus et aliam, quae illi opposita sit, amplectamur. Vbi que vniuersum quasi morbum cum suis symptomatibus et partibus ante oculos habeamus necesse est, si, quid agendum sit, determinare recte velimus. Quodsi vero infelicior euentus venaefectionis docet, symptomata mox offerri verae debilitatis, omnia in deterius ruere, morbum ingrauescere, viresque labi, tum mox, omni debilitante medendi methodo relictam, ad alia remedia confugiendum est. Ceterum venaefectione in ea maxime metritide indicatur, quae magis a causis vniuersalibus, quam localibus, ortum dicit; namque in ea, quae a locali vitio pendet, raro febris

bris inflammatoria intenſe vrget, quae symptomatica modo sit, cui arcendae vtplurimum alia leuiora remedia debilitantia, strenue adhibita, plane ſufficient. In fanguine fundendo audacior eſſe poterit medicus in non grauidis, quam in puerperis, quas magis ad neruofam metritidem, quam ad inflammatoriam, inclinare ſupra demonſtraui. Proinde hic in fanguine mittendo, omninoque in methodo debilitante caute versari debemus, ne noxam inferamus aegro corpori, vtplurimum hic irreparabilem ^{a)}). Notari tamen meretur, non reformidandam eſſe venaefectionem ^{a)}).

E 2

ſectio-

- a) Puerperae, a multis, quas ſupra enumeraui, cauſis, debilitatae, raro inflammationi, quae cum febre reuera inflammatoria coniuncta fit, ſub-eundae idoneae eſſe videntur; maxime vero proclives ad oppofitae indolis inflammationes deprehenduntur, quae nequaquam venaefectionibus tolli poſſunt. Hinc Boerhaauius (aphorism. §. 1332.) *venaefectionem baud facile, nec niſi ſumma urgente uoceſſitate, in puerperis adhiberi iuſſiſſe mihi quidem recte videtur.* Eas vero nonnunquam quoque inflammationibus expositas eſſe, quae febre reuera circumdantur inflammatoria, et quae feliciter ſanguinis detractione franguntur, hoc equidem nullatenus in dubium vocandum eſſe iudico. Fr. Hoffmannus (Tom. II. Edit. Geneuens. p. 156. ſeqqu.) et van Swieten (in commentar. T. IX. Edit. Wirceburgens. p. 391. ſeqqu.) exemplis demonstrant, venaefectionem in puerperarum inflammatoriis affectibus non ubique eſſe repudiandam, in ea tamen administranda caute versandum, neque in excessu peccandum, praeceperunt. Metritidem ipsam ſaepius indolem inflammatoriam agnoscere, eiusdem Hoffmanni experientia (l. c.) confirmatum habemus. Metritis inflammatoria, quam egomet obſeruaui, venaefectione ſemel repetita feliciter dissipata fuit. Hinc celeberr. *Mofatio* non poſſum adſentiri, qui omnes omnino puerperarum morbos a debilitate deriuandos et ſemper methodo irritante tractandos eſſe contendit. Cf. eius Praefatio ad Ioann. Brunonis Elementa Medicinae. Mediolani 1792. Ceterum cf. ad h. l. Ioann. Petr. Frank Oratio de venaefectionis apud puerperas abuſu; in Eiusdem opuscul. medici argumenti. Lips. 1790. Carol. Christ. Schnorr diſſert. de venaefectione in puer-

fectionem in puerpera, cui diathesis inflammatoria inhaeret, si quidem partus aut grauiditatis historia, caufae item morbi, eiusque symptomata doceant, metritidem reuera inflammatoriae esse indolis. Neque menstruorum aut lochiorum in metritide continuatus fluxus venaefectionem interdicit; attamen hic iam cautius et moderatius hoc restituenda sanitatis auxilio vtendum est, cum iam debilitans auxilium quasi naturale hoc in casu adsit. Ex hac ipsa etiam caufa cum eadem cautione tundenda vena est, si diarrhoea in metritide inflammatoria comparet; eiusmodi enim fluxus, quo pultaceae et ex albo flauae feces excernuntur, si moderatus est et cum leuamine morbi notabili fit, non vbique pertimescendus est^a). Fr. Hoffmannus, aliique clarissimi medici venaefectionem in puerperis adeo non timuerunt tum, cum purpura ad cutem effloresceret^b). Post venaefectionem generalem ad inflammationem infringendam egregie conducunt *topicæ sanguinis euacuationes*, nisi iam fluxus e vagina sanguineus praefto fit. Proinde mox sanguisugae aut cucurbitulae perinaeo, genitalium labris internis, laterique crurum interno applicandae sunt, quae remedia optimum in primis usum praestant, ubi metritis a mensibus aut lochiis suppressis orta fuerit. Sanguinis detractione peracta, alia auxilia in usum vocare conueniet, quibus id saepe efficietur, ut laticis pretiosi sanguinei iacturae super sedere possimus. Primo inflam-


puerperis. Lips. 1768. §. VI. et Martin, Gottl. Halpitii diss. de febre lochiali. Lips. 1753. §. XVI.

- a) Diarrhoeam in puerperis interdum adeo lochiorum defectum suppleuisse, annotarunt auctores; Bagliuius (Praxis medica. Lib. I. append. de Dysenteria) et Anton de Haen (in Thesibus patholog. de haemorrhoid. Vindobon. 1759.) diarrhoeam aliquoties lochiorum loco obseruarunt. Diarrhoea ergo in metritide inflammatoria, in primis a lochiis retentis nata, puerperis salutaris habenda est.
- b) v. Fr. Hoffmannus l. c. p. 160. §. IV. et Erndtel Warsavia physice illu. strata, Dresdae 1730. 4. p. 246

* * *

inflammationis impetu profligato instituatur, quae inter potiora praefidia pertinet, *modica alii purgatio*. Hinc mox praescribendum est remedium laxans antiphlogisticum, quod leniter absque stimulo aluum aliquoties pro re nata soluendi virtute gaudeat. Magna enim vis debilitans huius generis remedii in omnibus debetur morbis inflammatoriis. Si vero iam adeat diarrhoea, ab eorum vsu abstineamus oportet. In puerperis potissimum caute cum catharticis vel lenissimis mercandum est, quae ob facile excedentem in eiusmodi feminis sensibilitatem, earumque ad diarrhoeam propensitatem interdum inducant hypercatharsin, vnde fieri queat, vt vires mox exhaustantur et morbus neruofam assumat indolem. Si vero absunt vomitus et diarrhoea, aegraque magis alio adstricta laborat, cum fructu adhiberi possunt potus ex lactis fero cum cremore tartari parato, paruae item doses Salis polychresti Seignette aut Salis mirabilis Glauberi. Nitri usum in morbis phlogisticis probare equidem haud possum; irritat enim hoc sal manifesto, atque plus damni, quam utilitatis, aegris ut plurimum affert, quare ab eius vsu lubentius abstineo.

Praeter haec auxilia requiritur, vt aegra multum bibat, potuque semper frigido utatur. Simplicissimum potus genus *aqua frigida* est, quae egregie totius systematis auctam vim imminuit. Possunt tamen alii quoque magis compositi potus, v. c. Decoctum hordei, radicis graminis aut althaeae cet. adhiberi, qui itidem frigide sumendi sunt. Si fractus inflammationis impetus sit, egregie etiam conducit remediorum *diapnoicorum* usus, praesertim si sudor immineat aut cutis iam madeat; in eiusmodi casu ad transpirationem leniter promouendam profund infusa tepida ex floribus sambuci parata, nec non Tartarus emeticus in parua dosi porrectus aut Ammoniaca acetata. Interim tamen bene caueas, ne haec leniter irritantia medicamenta praepostere, morbo adhucdum vigente, adhibeas, quibus augeri facile malum



possit. In vniuersum sedulo fugienda sunt remedia stimulantia, quae nonnisi dissipata diathesi phlogistica, vel morbo in neruofum statum declinante, prodesse queunt. Ceterum diaeta tenuissima, liquida atque vegetabilis sit, et atmosphaera cubiculi frigidiuscula; stragulis tenuibus obtegatur aegra omneque id ab ea, sedulo arceatur, quo animus et corpus eius turbetur et irritetur. Remedia externa, quae in vsum vocentur, sint *Vnguentia oleosa et emollientia*, quae abdomini et perinaeo inungere conueniet, item *fomentationes* ex lacte tepido, phlogosi profligata, imo ventri applicari possunt; *Clysteribus* etiam, praesertim sub aluo adstricta, oleosis et mucilaginous iisque parua quantitate ano immisis aegrae saluti egregie prospicietur; injectiones autem in vterum improbandae sunt, quae manifesto noceant, quod non nisi cum quodam impetu deferri in inflammatum vterum possint. Vbi vero magis vagina laborat, et corruptarum materiarum plena est, lac tepidum aut mucilagineum decoctum parua copia iniicere licet. Vesicantium, aliorumque irritantium remediorum externalorum applicatio ob vim irritantem, quam in totum vitale systema ea exferunt, haud est concedenda^{a)}.

Ceterum de symptomatum curatione nihil addendum esse censeo, quippe quae, cum morbi effectus sint, generaliori etiam cedant regimini. Quare statim ad alteram metritidis speciem me conuerte.

B. De Metritidis neruofae curatione.

Neruofae, ab inflammatoria plane diuersae, metritidis currandae regulae, in eo omnino cernuntur, vt vires vitae admidum labefactatas erigamus, neque ullo modo eas in hoc rapido, facileque exitiali morbo debilitari patiamur. Et huic quidem indica-

a) Cf. Thomas Withers Bemerkungen über die Fehler bei dem Gebrauch der Arzneimittel; aus dem Engl. Leipzig 1776. p. 202.

ditioni, quam haec labes cum omnibus febribus neruofis communem habet, satisfacimus methodo irritante seu corroborante. Medicamenta igitur omnis generis pro re nata plus minusue irritantia seu corroborantia huic inflammationi opponenda sunt, quorum praecipua, quae experientia confirmata sunt, hic breui-
ter recensebo.

Quaestio primum oritur, an venaefectioni in neruosa inflamatione locus sit? Cum autem iam supra demonstrauerim, in hoc morbo summa debilitatem adesse, facile perspicitur, venaefectionem hic nunquam indicari; experientia enim satis fu- perque docuit, in hac inflammatione a phlebotomia instituta aegrotanti insigne ac saepe irreparabile allatum fuisse damnum; et profecto, si in eiusmodi casu venam secare velles, debilitatem noua debilitate augeres^{a)}). Vbi vero diagnosis hic plane ambi- gua, incertaque manet, id quod haud raro accidit, non vitupera- rem equidem circumspectum medicum, si in dubio hoc casu, veluti experimenti faciendi ergo, cum moderamine instituat phle- botomiam, quo, dum illius effectus sedulo contempletur, de morbi vera natura certior fiat, ut recta in morbo tractando in- cedere possit via. Perinde enim periculosa, flebilisque aegrotae fors est, si medicus, in metritide reuera inflammatoria, neruofae vero indolem ludente, illius fallaci imagine seductus, aegro- tam nunc, omni neglecta antiphlogistica cura, methodo irritan- te in grauissima vitae coniiciat discrimina, ac si in vere neruosa vteri inflammatione vtatur remediis, quibus sanguinis, humorum- que copia diminuatur. Si autem de morbi indole vere neruosa certi fuerimus reddit, omnibus, quibus aegrota debilitari pos- fit,

^{a)} *Fr. Hoffmannus* (I. c. obseru. IX.), *Sydenhamius* (dissert. epistolar. in opuscul. vniuersis, Lips. 1711. p. 535.) et *Levretus* (*Part des accouchements*, p. 167.) a temere institutis aut nimiis venaefectionibus plures puerperas periisse viderunt.



fit, v. c. purgantibus, aliisque antiphlogisticis pharmacis prorsus omissis, medicamenta, quae vires depressas excitent, adhibeamus necesse est, iisque tam diu vtiamur, donec aegrae sanitas restituta obseruetur.

Inter medicamenta, quae alias cum summo fructu neruofae opponuntur inflammationi, primus locus *Radici Polygalae Senegae* assignatur; sed hanc ego medicinam hic non valde laudare possum, quae interdum vomitum aut diarrhoeam cieat, atque sic ea, quae in metritide plerumque adsunt, symptomata facile augeat et aegrotis, sensilibus maxime puerperis, periculum pariat. Si vero haec symptomata cum metritide non coniuncta sunt, cum fructu Decoctum Senegae, cum Decocto corticis peruviani et Liquore anodyno minerali Hoffmanni mixtum propinari potest. Aliud remedium, quod in hoc casu mox est adhibendum, *Cortex Peruvianus*^{a)} fistit, qui tamen ob ventriculi imbecillitatem, quae in hoc morbo praeualet, non in substantia, sed sub forma Decociti vel Infusi praescribi debet, cui superaddendum est remedium excitans, e. gr. Liquor anodynus, Aqua menthae pipiritae, Decoctum serpentariae virginianaee cet. quo magis vires suas in neruos volatiliores exferat. Summa quoque *Opio* hic laus debetur, quod sua virtute eximie irritante, qua totum fere sistema vitale mox commouet, saepe labentes vires erigere et refocillare valuit. Praefertim huic remedio locus est, ubi in metritide alius diarrhodes, hic fere semper funesta^{b)}, aut vomitus, aut alia symptomata neruosa vrgent. Aliud in qualibet

inflam-

a) Cf. *Withers* l. c. p. 346. et *Moscatii* Praefatio ad *Brunonis Elementa Medicinae*.

b) Diarrhoea in metritide puerperali inflammatoria salutaris habenda est, in neruosa vero metritide fere ubique noxia ac funesta est. Inde distinxit *Levrerus* (*l'art des accouchemens*, p. 162.) puerarum diarrhoeam in *criticam* et *symptomaticam*.

inflammatione neruosa pharmacum, a multis cum egregio successu adhibitum, est *Mercurius*; hoc enim metallum insigni pollere vi irritante, nemo est, qui ambigat; inde cum summo fructu neruoso huic statui opponi potest. Etenim sal uberrimus est effectus, quem in hepatide orientali, quae neruofae naturae mihi esse videtur, producit, et ex analogia recentiores medici collegerunt, hoc metallum cum fructu et in aliis inflammationibus localibus adhiberi posse; neque infelix fuit tentaminum, quae cum eo instituerunt, exitus, quibus illud morbis his tollendis itidem aptum esse constitit. Sed perperam et indiscriminatim quidam medentes in statu inflammatorio quolibet, nulla habita inflammationis naturae ratione, praescribunt hanc medicinam. Mercurius quippe valde irritans et corroborans pharmacum in incendio, quod cum febre inflammatoria incedit, summo cum vitae discrimine aegrotanti propinabitur, in inflammatione vero neruosa semper cum fructu adhiberi poterit. Ex multis Hydrargyri praeparatis Mercurius dulcis utilissimus in hoc morbi genere est repertus. Et optime exhiberi potest in parua dosi, (ne noxiā hic diarrhoeam aut ptyalismum progignat) pro renata a grano uno ad alterum; simulque ipsi opii aut camphorae aliquid admiscetur. Methodus Medicorum Indiae Orientalis, qui semper ad salivationem usque Mercurium adhiberi iubent, in eo, de quo loquor, casu non necessaria videtur. In peritonite neruosa puerperali cum insigni fructu praescriptum hoc metallum fuisse a quibusdam medicis, ipse testis fui. *Moschus* in metritide neruosa itidem egregium est remedium, quod sensibiliissimis puerperis, maxime cum pulsus durus et contractus sit et affectibus multis spasticis et deliriis aegra vexetur, egregie conductit; idem etiam de *Camphora* valet, quae in neruosa metritide cum emolumento propinari potest. Conducit ea maxime aegrotis laxo corporis habitu praeditis, quales plerumque sunt puer-

F

perae,

perae, non item rigidis, siccis; potissimum vero apta ea est, vbi cutis humida, pulsus mollior, exilis et frequentissimus animadvertisit et deliria multa atque symptomata spastica accedant. Praeter enumerata pharmaca, quae irritante virtute se in primis commendant, et in neruosa inflammatione qualibet a medicis cum emolumento praescribi solent, adhiberi etiam possunt *Radices Serpentariae Virginiana et Arnicae* (haec praesertim sub urgente diarrhoea), *Valerianae* item *sylvestris* et *Angelicae* radices, aliaque eius indolis medicamina, quae sub forma Infusi seu Decocti aegris commode propinantur; in substantia enim data ventriculo debili facile molestias creant et, cum non digerantur, nullius fere usus sunt. Quod ad *Vinum generosum* attinet, admodum efficax illud in eiusmodi malis inuentum esse constat, quare hic ei princeps veluti locus assignandus videtur. Extollunt medici hoc potus genus magnis laudibus in inflammatione neruosa, et experientia sane docuit, illud sanitati in integrum restituendae admodum aptum esse. Pro diuersa autem morbi conditione diuersa in copia vinum propinari potest, modicus tamen eiusdem usus semper optimus erit. Ceterum cum aqua mistum et Saccharo vel Syrupo quodam edulcoratum pro potu ordinario potest usurpari. Interim, si vino utaris, necesse est, ut ad eius effectus sedulo attendas; vbi enim deliria non tollit, sed auget, pulsus frequentiorem reddit, et vbi aegra vultus ferociam testatur, abstinentium ab eo est, cum experientia docuerit, illud in eiusmodi causa raro conducere.

Cum horum remediorum irritantium, quae intus sumuntur, usu simul externorum medicaminum administratio coniungenda est. Applicentur itaque toti abdominis regioni et perinaeo *Vnguenta volatilia*, e. g. Linimentum ex Oleo Lini, Camphora et Ammoniaca cum Opio mixtum, *Cataplasma calida* ex Semine Lini, Herba Hyosciami, aut Cicutae et Floribus Chamaomillae et
Opio

Opio confecta; *Fomentationes* item ex Aceto Vini calido cum Laudano liquido *Sydenhami*, aut ex Vino aromatico vel vinofo Chiae Decocto composita. Praeterea *pediluua et semicupia calida* adhibentur, et in vaginam caute et parca manu iniiciatur Aqua vel Lac tepidum. *Enemata* etiam ex Chamomillae Decocto et Opio parata cum summo aegrae emolumento in usum trahi possunt; pariter insignis est *Vescicatoriorum et Sinapismorum*, abdomini impositorum, usus, quae medicamina rubefaciendi, non item vesicas excitandi ergo, adhibenda sunt.

Quod denique ad diaetam attinet, haec semper viribus aegrae, morbi statui respondeat oportet, eaque nunc magis, nunc minus nutriendis, corroborans ac restaurans sit. Ob ventriculi debilitatem omnia nutrientia liquida forma exhibere conueniet. Praescribantur ergo iuscula carnea, Decoctum radicis Salib cum vino mixtum, aliaque huius generis nutrientia. Aegra aere fano, puro, eoque saepius renouato fruatur, hilari animo sit, neque animi pathematibus deprimentibus debilitetur, omnique consulto ab ea remoueantur, quibus ullo modo vires frangi possint.

In curanda neruosa metritide ubique initium a pharmacis, quae fugaci agendi modo gaudent, h. e. a sic dictis analepticis et neruinis faciendum est. Hinc pro re nata aut Serpentaria Virginiana, aut quicquam Valerianae, aut Senegae radicis, aut Camphorae, Moschi, aliorumque excitantium dari potest. Cum autem horum medicamentorum actio breuis et quasi volatilis sit, breuibus illa temporis interuallis porrigere conueniet. Atque excitatis eorum efficacia corporis, ventriculique viribus, morboque in meliorem statum redacto, mox adhibenda sunt remedia, quae agendi modo fixiori et firmiori pollent; proinde corroborantia fixa, e. g. Cortex Peruianus, (qui vero ab initio quoque egregio cum successu remedio aromatico seu volatili iunctus ad-

hibe-

hibetur), Cortex Angusturae, Extracta amara et alia praescriben-
da esse patet. Concedendus etiam est nunc victus solidior, isque
magis nutriens. Quod ad medicaminum denique propinando-
rum copiam attinet, is fere tenendus modus est, vt in metri-
tide neruosa, quae ex summe inflammatorio vteri morbo orta sit,
aut noxas vehementer irritantes, vitaeque vim exhaustientes pro
causa agnoscat, statim a largis medicamentorum dosibus initium
faciamus, quas tamen sensim sensimque imminuere fas est; si ve-
ro metritis originem traxerit a causis debilitantibus, a stimulo-
rum detractio[n]e et defectu, e. g. ab haemorrhagia etc. corpus fen-
silissimum plerumque est, neque largas fert pharmacorum doses,
quare in eiusmodi casu a paruis medicaminum portionibus ad
maiores transfire conueniet. Vbi denique vomitus et hic semper
funesta diarrhoea vrget, medicamenta cum mucilaginosis sub-
stantiis et mixtura Riuierii coniungere, insimulque praecordia Vn-
guentis, Oleis, aliisque pharmacis excitantibus illinire et fouere
e re erit; quae praefidia, etsi morbo penitus tollendo non suffi-
ciant, tamen variis symptomatibus leniendis admodum apta at-
que idonea sunt.
